

IOANNES ECHTIVS MEDICVS COLONIENSIS.



Ioannes apud Belgas natus est anno circiter 1515. Hic cum primas literas degustasset, & artium fundamenta iecisset, hinc inde ad uarias Academias se contulit, & in primis Vuitebergæ diligentem operam literis nauauit. Ibi cum linguarum & artium precepta optimè percepisset, in Italiā profectus est. In eo loco excellentiores Medicos et Philosophos audiuit, & in ea facultate adeò profecit, ut sibi omnium gratulatione Doctoralia insignia comparavit. Postea in Germaniam rediit, atq; Coloniæ Medicinam exercere cœpit, idq; tāta dexteritate & felicitate, ut eius uirtutes ab omnibus prædicentur. In eo loco Ioannes etiamnum superstes est, & inter Medicos magna gloria uersatur. Anon.